



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Seflingum, olim præclarum castrum, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

missis, ab eodem Divo Ferdinando Rege, prædicto Joanni Jacobo à Schonaw nobiliss. Viro, commendata est, qui hæc & alia clementer mihi communicavit.

Est Seckhingi tertiæ quoq; S. Francisci Regulæ cœnobiolum monialium, emanuum suarum laboribus viventium, constructum à cive quodam ejus oppidi, Joanne Heelblingo, qui locum eum duabus suis filiabus primum habitandum consecravit, Annæ videlicet ac Margaritæ, piis puellis, monasticam ibi congregationem inchoantibus, anno Domini 1340.



**SEFLINGUM**, olim præclarum castrum, ejusdem nominis nobilium Pincernarum (qui Cæsariense etiam monasterium donarunt) sedes, nunc vero Virginum, Deo juxta Divi Francisci institutum fervientium, pulcherrimum ac opulentissimum cœnobiolum, extra muros republicæ Ulmensis in dextra Blavi fluminis situm, coepit anno Domini 1237. Ulmæ intra urbis moenia primum, ubi sororum, D. Benedicti institutum sequentium, quædam erat congregatio ad S. Elisabetæ sacellum, in infima urbis parte, quam vulgo aufdem *Griesß* vocant, inter Gregorii pontis & Anserum portas situm. Hanc monasticam societatem inchoarat Minorita quidam Albertus, qui concionibus suis gratus privilegia & donationes quasdam impetrarat apud Imperatorem Conradum quartum, Friderici secundi filium. Acceperunt mox aliæ donationes nobilium virorum, Ulrici & Peregrini de Freiberg, qui prædium quoddam monachorum, Curiam dictum, sororibus S. Elisabetæ tradiderunt. Nondum tum amiserant totius Ulmensis urbis possessionem monachi divitis Augiæ, iccirco loci ejus Abbas, Conradus, illustris Baro de Zimmern, donavit easdem sorores aliquibus curtibus & prædiolis Phulensis pagi. Postea translatum est hoc ipsum cœnobiolum, Ulmæ mediocriter jam inchoatum, ex urbe in viciniam arcis Seffingensis, quæ Comitum erat Dillingensium, anno Christi 1250. ab ipso Hartmanno, Comite Dillingensi & Episcopo Augustano, qui S. Claræ illic professionem & ordinem dicitur instituisse primus. Accidit vero paulo

Herbrun-  
ger Thor.  
Simp Thor.

*Vahin-  
gen.*

*Dilligen-  
sis Comes  
capite ple-  
ditur.*

paulo post, anno videlicet 1258. ut hujus Episcopi pater, Hartmannus etiam dictus, Vahingi in oppido & arce hodie Wirtenbergensis Ducatus habitans, odio foceri sui Ægidii Comitis à Kelmuntz flagrans inextinguibili, scribam quendam subornaret, ut ab eo Ægidius Comes trucidaretur: accusatus vero Dilligensis Hartmannus ob designatum tale facinus apud Treverensem Archiepiscopum, Henricum, Imperii locum tenentem sub interregno capitur, & Treveri ad instantiam Kelmuncensis familiæ capite plectitur. Habebat Hartmannus Episcopus matrem adhuc superstitem, Dominam Wilburgin, Comitissam Kelmuncensem, quæ, cum propter amissos omnium carissimos amicos, Ægidium patrem ac Hartmannum maritum, verfaretur in summo luctu, exspatiata est aliquoties ex arce sua Vahingensis ad forores S. Elisæ prope Sessingensem arcem habitantes, à quibus cum consolationis plena verba audisset plurima, videretq; piam ac religiosam illam monialium conversationem, dono dedit pro salute animarum cum parentis, tum mariti sui arcem Sessingensem cum omnibus vicinis & ad illam ipsam arcem spectantibus pagis, jubens, ut cœnobium ipsum splendidius nunc, quàm fuisset hætenus, construeretur, imò pro pluribus fororibus recipiendis etiam ampliaretur: quod ita factum est sub Advocato monasterii, Ulrico Comite de Helfenstein, Dominæ Wilburgis altero genero. Habebat vero hæc ipsa Domina Wilburgis præter Dominum Hartmannum Episcopum, alium insuper filium 14. annos natum, quem ut alterum etiam religiosum faceret, secum decreverat. Sed aliter visum fuit Superis: morsus enim puer à rabido cane paucis diebus post extinctus est. Ibi miserrima mater cœnobio, nuper ampliato & liberaliter à se donato, jam & se ipsam & reliqua sua omnia tradidit: cujus ipsa mox etiam Abbatisa & gubernatrix designata cum octo annis & tribus mensibus septuaginta duarum monialium congregationi præfuisset, evocata est ex hac lachrymarum valle, & corpore caduco in hac ipsa à se fundata Abbatia honorifice tumulata anno 1281. eodem loco, quo filius etiam à rabido cane morsus, cubat. Donatum est amplius hoc

hoc cœnobium à nobilibus de Westerstetten, & à Palatino quodam Tubingensi, qui Wilburgis fundatricis gener etiam fuisse legitur. Abbatissarum hujus loci talis est ordinaria successio.

1. *Hedwigis* præfuit congregationi huic intra muros ad huc Ulmenfes constitutæ, sed quamdiu, id nescitur. *Abbatiss. catalogus.*

2. *D. Anna à Freiberg.*

3. *D. Wilburgis* Comitissa, translatrix & secundaria fundatrix, quæ cum 8. annis præfuisset & tribus mensibus, decessit ex hac vita, anno 1281.

4. *D. Barbara à Rechberg.*

5. *D. Barbara à Freiberg.*

6. *D. Clara Cressina*, patritio sanguine apud Ulmenfes nata.

7. *D. Elisabeta Cressina.*

8. *D. Agatha Risolina.*

9. *D. Meburgis Strelerina*, Ulmenfis.

10. *D. Christina Strelerina*, & ipsa Ulmenfis, quæ legitur obiisse anno 1489. Sub ejus gubernatione reformatum est cœnobium jussu summi Pontificis, Sixti IV. à Georgio & Henrico, Abbatibus Hirsaugiensi & Blaubirensi, anno Domini 1484: & eodem anno venit cœnobium in tuitionem S. P. Q. Ulmenfis, Guilelmo Besserero & Joanne Ehingero consulibus.

11. *D. Elisabeta Reichnerin* constituitur anno Domini 1484. ab his, qui reformatores missi erant. Hæc anno Domini 1493. de novo ex imis fundamentis condidit cœnobium, longèq; pulchrius (quàm antea fuerat) illustravit. Præfuit annis 19. Emigravit ex hac vita anno 1513.

12. *D. Cordula à Rischbach*, nobili genere nata, sed quæ virtute etiam & vitæ probitate non est ignobilis, eligitur vivente adhuc Elisabeta in coadjutricem anno Domini 1508. postea verò in Abbatissam, mortua Elisa. Præfidet laudabiliter, prudenter & utiliter 44. fororibus hoc adhuc currente Jubileo.



**SORETHUM**, vulgata voce hodie *Schussenrietum* à Schuffio, præterfluente fluvio, (qui prope Ereskirchium in lacum  
Yyy Acro-